




The Beasts of Rome: A Tiered Reader of Phaedrus *Fables I*

This is sample content from *The Beasts of Rome: A Tiered Reader of Phaedrus Fables I*. Subscribe to my email newsletter for a free *Aeneid* 4 tiered reader and find out more about the Phaedrus project at: foundinantiquity.com/thebeastsfrome


I.1 Lupus et Agnus



Ecce, **lupus** et **agnus**. ('Agnus' est parva ovis)




Agnus lānam gerit; agnus **lāniger** est.



Ecce, homō **queritur**: vōce et verbīs dolōrem suum indicat.



Latrō est homō scelestus quī prope viam latet (=cēlātur), viātōrēs oppugnat, et pecūniam postulat.



Ecce, **faucēs**.

Gradus Prīmus

Lupus et agnus ad fluvium vēnērunt ut aquam biberent.

Sitis (=cupīdō bibendī) eōs compulit ad eundem fluvium.

Lupus in superiōre parte fluvīī stābat,

longē in inferiōre parte stābat agnus.

Itaque aqua ā lupō ad agnum fluēbat.

Deinde lupus, latrō ille ferōx, fauce improbā agnum malīs verbīs accūsāvit, et causam accūsātiōnis attulit injūstam:

‘Cūr,’ inquit, ‘turbāvistī aquam mihi? Eam bibēbam!’

Agnus lāniger respondit timidus:

‘Quōmodo possum facere id quod accūsās, lupe?

Aqua ā tē dēcurrit ad mē!

Tū nōn bibis aquam quam ego turbāvī, sed ego bibō eam quam tū turbāvistī.’

Ille, vēritāte repulsus, respondit novīs querēlīs:

‘Ante sex mēnsēs,’ inquit, ‘maledīxistī mihi!’

Respondit agnus: ‘Vērum ego nōndum nātus eram!’

‘Dī immortalēs!’ inquit lupus, ‘Pater tuus fuit quī maledīxit mihi!’

Itaque agnum corripuit et lacerāvit, et injūstē necāvit.

Haec fābula nārrātur dē illis hominibus
quī accūsātiōnibus falsīs hominēs innocentēs opprimunt.

Gradus Secundus

Lupus et agnus ad eundem rīvum vēnerant
sitī compulsī;
Superior stābat lupus, longēque inferior agnus.
Tunc latrō incitātus fauce improbā jūrgiī causam intulit.
'Cūr,' inquit, 'aquam fēcistī turbulentam mihi bibentī?'
Lāniger contrā respondit timēns:
'Quaesō, quī possum facere id quod quereris, lupe?
Liquor ā tē dēcurrit ad meōs haustūs.'
Ille, vēritātis vīribus repulsus, respondit et,
'Ante hōs sex mēnsēs,' ait, 'male dīxistī mihi.'
Respondit agnus: 'Equidem nātus nōn eram.'
'Pater hercle tuus,' ille inquit, 'male dīxit mihi.'
Atque ita agnum correptum lacerat injūstā nece.
Haec fābula scrīpta est propter illōs hominēs
quī fictīs causīs innocentēs opprimunt.

PHAEDRĪ FĀBULA I.1 LUPUS ET AGNUS

Ad rīvum eundem lupus et agnus vēnerant
sitī compulsī; superior stābat lupus
longēque inferior agnus. Tunc fauce improbā
latrō incitātus jūrgiī causam intulit.
'Cūr,' inquit, 'turbulentam fēcistī mihi 5
aquam bibentī?' Lāniger contrā timēns:
'Quī possum, quaesō, facere, quod quereris, lupe?
Ā tē dēcurrit ad meōs haustūs liquor.'
Repulsus ille vēritātis vīribus:
'Ante hōs sex mēnsēs male,' ait, 'dīxistī mihi.' 10
Respondit agnus: 'Equidem nātus nōn eram.'
'Pater hercle tuus,' ille inquit, 'male dīxit mihi.'
Atque ita correptum lacerat injūstā nece.
Haec propter illōs scrīpta est hominēs fābula,
quī fictīs causīs innocentēs opprimunt. 15



You may adapt, print and share this sample content, but you may not use it for commercial gain or remove the author attribution. Sincerely, Carla Hurt from foundinantiquity.com